

Biogr. er. D
1554,62



DE VITA ET MORTE
CLARISSIMI ET CONSVL-
TISSIMI VIRI

HENRICI CAMERARII,
Iureconsulti præstantissimi,
Professoris Academiae Rostochiensis
laudatissimi,
Principum Lunæburgensium, Pome-
raniae, & inferioris Saxoniae consi-
liarij,

*Qui alijs inseruiendo toto vitæ cursu, seipsum consumpsit,
Viri optimi & prudentissimi ac vitâ
longissimâ dignissimi,*

Anno Christi 1601. vndecimo Februarij, qui ætatis 54.
ex hac miseriarum valle cum omnium bono-
rum dolore euocati,

ORATIO

A V T O R E
MARTINO BRASCHIO Professore
Acad. Rostoch. publico.



ROSTOCHII,
Typis Stephani Myliandri, Anno M. D. CI.

erud.
54,62

X



Magnificis, amplissimis, præstantissimis,
prudentissimisq; viris, Dn. CONSVLIBVS
& vniuerso Senatui inclytæ vrbis BRVN-
SWICENSIS

*Hanc ORATIONEM de vita laudatissima
& prematurâ morte*

HENRICI CAMERARII

Quem BRUNSWIGA nascentem excepit, aluit, docuit:
Quem viuentem amauit & magnificit:
Cuius consilium & operam nuper fidelissimam experta est:
Quem ex improviso extinctum acerbè luget & deplorat:
Cuius ingenij & donorum ac meritorum præstantiam li-
bentissimè recordatur & prædicari audit:

*Propter has ipsas causas, tum
Ad virtutes & laudes eius viri recogno-
scendas & inde mortis solatium capiendum*

L. m. q̄

*summâ cum obseruantia
dicat & consecras*

MARTINVS BRASCHIUS.

74, 33



O R A T I O
MARTINI BRASCHII.



Qvod vulnus animis nostris ante trimestre inflitum est grauiſſimum, diſceſſu reuerendi & Clariffimi viri DAVIDIS CHYTRÆI p. m. huius Scholæ capitæ & columnæ præcipuæ; illud cum vix dum etiam cicatricem ducere & nonnihil conſolidefcere cœperit: nunc, cum nihil minus metuebamus, cumq; omnium animi in optimarum rerum ſpem eſſent erecti, auditores: ecce hiſce paucis diebus in doloris iterum conijcimur acerbitatem noui & inexpectati Cui enim noſtrum in mentem venire potuit, Clariffimum virum, HENRICVM CAMERARIVM, quem ante aliquot menſes ſanum & valentem ex hac urbe exeuntem vidimus, quem grauiſſima vrbiſ Brunſwicenſis negotia magna cum alacritate ob-euntem nihil ægritudinis ſenſiſſe accepimus, quem rebus expeditis mox dimiſſum iri & ad ſuos magno cum deſiderio reditum paſſe cognouimus: eum antè tam ſubitò corruiturum? & cum ſui iam amplexum & fauſtas congratulationes pararent, eas tam ſubitâ fortunæ mutatione in lachrymas & eiulationes conuerſum iri miſerrimas? Concidit, auditores, non licuit illi portam huius vrbiſ viuo iterum contingere: mutatae ſunt lætæ illæ ſpes in triſtiſſimos fletus: vixit, vixit inquam, HENRICVS CAMERARIVS; quod cum dico, cumq; hac voce meâ illum vixiſſe, affirmo: poteſtne in aliquem veſtrum tantus cadere animi rigor quin, ſi non in effuſas lachrymas, ſaltem in gemitû paulo triſtiores liqueſcat, ac ſi non priuato cognatorum dolore, ſuo tamen & publico moueatur damno. Non enim ille tantum ſuis ereptus eſt, qui mortuum magno cum deſiderio requirunt: non tantum hi cognati eius & affines tam multi & honorati, quos ſordidatis veſtibus & luctuoſo vultu aſtare videtis, eius conſuetudine impo-

sterum carebunt: non vxor tantum, non liberi, non gener hoc vul-
nus sentiunt: nobis quoq; auditores ille idem CAMERARIUS viuere
desijt: Academia quoq; in eo iacturam fecit: vrbs hæc vniuersa se
præsidio consilij & sapientiæ priuatam sentit singulari Non ille
imposterum Academiae huius geret magistratum, non in senatum
nostrum veniet, non res difficilimas consilio & autoritate sua expli-
cabit: non uos adolescentes iura & leges magno cum concursu & at-
tentione interpretantem deinceps audietis: non hæc cathedra sua-
uissimè orantem, non argutè & scientissimè disputantem imposte-
rum intuebitur Consiluit & planè obmutuit illa lingua Nestoræ
olim suauior: non viuit amplius vultus ille iucundissimus & Gra-
tiarum æmulus. Itaq; auditores non nos solum hoc insperato &
tristissimo casu meritò commouemur: sed illi ipsi huius au-
ditorij & cæterorum parietes; ista in quibus confidetur, subtel-
lia; illa, illa, inquam, in qua docere solebat, cathedra lugere mihi
& squalore obduci videtur, quod illo suo doctore & legum inter-
prete, in quo hæctenus maximam suæ gloriæ partem collocarat,
nimium subito spoliata consulescere cogatur. Neq; vero etiam
luctus, quem huius optimi viri obitus concitat, huius Academiae
domicilijs aut vrbis huius mœnibus se continet: illius fato absq;
dubio exterrita & consternata est patria Brunsviga: eoq; magis,
quod nuper fidelem eius operam erat experta: ad mortis huius
nuncium expauit non vna, sed complurimæ aulae: ipsi principes &
principum vxores ac filij illum morientem & è conspectu ac à con-
silijs suis auulsum magnopere deplorant.

Atq; vt intelligatis, auditores, non temerarium aut fortui-
tum esse hunc luctum, quem propter vnum hominem in tot ho-
minum vultu & animis impressum videmus: necessarium esse
video: quoniam has parentandi partes semel in me, non temeri-
tate vllâ, sed partim proprio pietatis studio erga defunctum: par-
tim voluntate huius amplissimæ familiæ & collegarum meorum,
(quorum nemo esse potest, sicut neq; studiosorum, qui hunc ho-
norem CAMERARIO inuideat) approbatione adductus susce-
pi, vt causas huius rei vobis exponam atq; ita exponam; vt neque
laudes HENRICI CAMERARII ex vita honestissimè acta de-
cerptas; neq; ipsum vitæ exitum, quidq; de eo sentiendum sit,
dissi-

diffimulem. Ita enim futurum est, ut si quis miretur propter unum tam multos capere dolorem, mirari desinat. Sane necesse est, quem mortuum multi desiderant, eum viuum multis profuisse: & cuius discessu plurimorum animi percelluntur, eum in vitam ob insignem virtutem plurimis fuisse carissimum. Iamvero de ipsa vita huius viri hoc modo rectissime & ad intelligentiam vestram aptissime mihi videor esse dicturus: si primo de puerili institutione & studiorum cursu: tum de fructibus, qui deinceps ex studijs & ipse & alij perceperunt, me dicentem, atq; interea de præclaris ingenij donis, & summis virtutibus, ea quæ oportet, non subticentem audiatis.

Et quoniam omnis vitæ spes & virtutis incrementa ab ipsis incunabulis solent duci: quod & quam bene quis nascatur, & quam fortiatur à puero institutionem, in eo sita sint omnia: accepimus equidem nihil horum CAMERARIO defuisse. Nam & patriam, si quid hoc quoq; natales amplificat, nactus est eam quam ante nominauimus Brunsvigam, urbem inter mediterraneas Saxonie nostræ maximam & clarissimam: in qua vrbe eo tempore omnia fuerunt florentissima: magna senatus cum plebe & ipsorum ordinum inter se concordia: ciuium ad obedientiam compositi animi: opifices non ab officinis suis retardabantur: membrorum sacri ministerij summa erat doctrinæ & animorum consensio: cum Principe suo non malè illis conueniebat: pax & rerum vbertas ibi vigebant: aberat bellum & belli metus. ut equidem CAMERARIUS non magis aureum patriæ statum suis natalibus exoptare potuisse videatur. Parentes in ea adeptus est honestos integræq; famæ patrem IOHANNEM KEMMERVM, honestam mercaturam obeuntem & matrem CUNIGVNDAM, ex antiquâ & non infima in ea vrbe PELTENIORVM familia, quam iam extinctam perhibent, procreatam. Qui parentes si non potentia & magnis honoribus flourerunt neq; locuples patrimonium filio reliquerunt: certè eo imprimis lætari & sibi gratulari potuerunt, quod hunc filium ex se genuerint, qui hæc omnia virtute sua longè abundantius ipse sibi peperit, quam ad quenquam ex hereditate paterna ea vnquam peruenire quiuissent. Etenim quemadmodum Cicronem olim, exprobrantibus, quod à cicere legumine vilissimo.

lissimo nomen vsurparet, respondisse ferunt, se Ciceronis no-
men longè celebrius redditurum, quàm esset aut Scaur o-
rum aut Catulorum aut Claudiorum: ita CAMERARIUS verè in
adultâ ætate gloriari potuit, se lucem & gloriam, quam à paren-
tibus & familia non acceperat, in familiam suam intulisse pri-
mum: & quod CAMERARIORVM nomen ante erat obscurum:
hoc sua virtute & famâ reddidisse omnium clarissimum. Sed vt
ad parentes redeam, ex illis quidem patrem mature amisit, per-
emptum magnâ illâ peste, quæ anno Christi 1549. per Germani-
am sæuijt, quo tempore CAMERARIUM puerum circiter duo-
rum annorum fuisse sæpe ex ipso auditum est: vnde facile colli-
gere est eum ætate annum 54 attigisse. In matris igitur sinu dili-
genter educatus pietatis femina, quam virtutem præ omnibus
alijs in totâ vitâ coluit, puer atq; infans ex uberibus eius hausit.
Perhibent & testimonium ferunt adhuc huic matronæ nonnulli,
valde olim conspicuam & laudatam fuisse Brunsvigæ huius Cuni-
gundæ pietatem: ita vt felicem illum studiorum & fortunæ in fi-
lio successum maternis precibus imputare soleant. Cum vero
in puero singularis eluceret indoles: matri nihil fuit antiquius
quàm vt ad Scholam eum deduceret, vehementer exoptanti vt
inter literatos & honoratioris filius aliquando collocari posset.
Tantum enim abest, si liberi honoratioris euadant, vt id paren-
tibus creet molestiam; vt nulla animis eorum maior possit abori-
ri voluptas. Gubernabat tum ludum patrium ANDREAS BV-
CHENIUS, post Superintendens Ecclesiæ Lubecensis: in quo vi-
ro insignem fuisse eruditionem, &, quicum olim nouerunt, te-
stantur & multi eius discipuli, qui in magnos viros euaserunt, re-
ipsa loquuntur. Multum certe refert, quem præceptorem nan-
ciscaris, quàm doctum, quàm fidelem, quàm diligentem! Sed
longe plura sunt in ingenio, quod diuinitus accipimus: & volun-
tate ac ardore discendi, quem quisq; sibi ipsi, pro eo ac animatus
aut assuefactus est, gignit. Ingenium in puero iam eminebat præ-
clarum, cuius lumen post longè lateq; se effudit: voluntatem au-
tem ad discendum afferebat non coactam sed promptam: non so-
cordem sed alacrem & excitatam. Ita secum cogitabat se hoc
matri, cuius animus filij cura torqueretur debere, ne spes, ne pre-
ces

ees & vota, ne sumptus eius frustrari pateretur: parentes quia ciuilem vitam coluissent, obscuriores esse & in plebe latere; sibi enitendum vt emergeret, & familiae suae lucem accenderent: turpe visum iri cui ingenij facultas & alia eruditionis instrumenta non penitus deessent: se sibi deesse. Hæ cogitationes CAMERARIO nostro (id quod illi cum generosissimo quoq; commune est) iam adolescenti in animo obuersabantur: hi stimuli eum deinceps quotidie acuebant atq; excitabant: his ille ad literarum studia inflammabatur, idq; eò ardore maiore, quo magis crescebat ætas. Vt enim in arboribus succus natiuus augetur & se extendit cum magnitudine crescente: ita in optimis animis amor honestatis & scientiæ cum ætate. Itaq; iam tum ille hisce annis, quibus se ludo literario continebat, hoc consequabatur, ut mater arcanum quendam lætitiæ sensum perciperet: præceptores eum amarent: æquales facile illi primum locum concederent: omnes magnam de eo spem conciperent. Hic mihi in mentem venit aliquid, quod præterire non debeo. Erat tum vrbs Brnnsuicensis Superintendens Reuerendus & clarissimus vir DOCTOR IOACHIMVS MORLINVS. Is cum singulis septimanis, id quod hic quoq; ita fit, Examen Catheticum publicè in templo institueret: hunc puerum præ alijs promptissime repperit ad interrogata respondentem: quo nomine non solum ipsum vti filium amare cœpit, sed etiam passim indolem eius & diligentiam hominibus commendauit: & spem de eo excitauit prædicatione suâ apud omnes maximam. Fortè sint qui existiment, non adeo magnum hoc esse, neq; de eo tam multa verba facienda: ea potius dicenda, quæ in virtute, in meritis, in rebus gestis consistunt. Ego vero, auditor ita sentio, etiam hanc ipsam virtutem esse, & nullam aliam maiorem in adolescentem cadere aut ab eo posse requiri: quàm si diligens sit, si gnauus, si æquales æmuletur, si, ad magna animo & conatu aspiret. Non enim illum tum magna gerere, sed magna meditari decet: non rempublicam aut Ecclesiam administrare: sed ita se comparare, vt ad illam administrationem aliquando aptus reperiatur. Ac quemadmodum in viro ipsius virtutis exercitationem laudamus: ita non video cur in adolescente ipsam discendi & honestatis cupiditatem minori laude dignemur: quæ si

non

non antegressa sit, ne præclari quidem quicquam aut res adeo magnæ in virili ætate consequi solent: sin adfuerit, tum demum iucundissimos & certissimos ex sese gignit vittutis & honorum fructus. Quare non immeritò hinc CAMERARIJ laudem ordimur, quod reliquarum laudum fundamentum est: & iure non in minimis illud ponimus, sine quo maximis locus esse non potest. Agricola equidem ita sapiunt, vt non solum vberem messem laudent: sed etiam beatam & luxuriantem, cum pubescit, sementem. qui ijdem si raros vident emergere furculos aut herbescentem adhuc segetem frigore emori pluuijsq; submergi, facile coniiciunt, magnam fore messis & anni sterilitatem. Quidni idem sit augurium & honesta existimatio de ingenij illa semente, quæ magna vbertate se in pueritia profert & messem in maturitate ætatis spondet fœcundissimam! Quod omen si de quoquam maturè fieri potest, certè de CAMERARIO & debuit, & factum est. Quin. & inde consecutus est, vt iuuenis annorum nouendecim ad Academiam videretur mittendus: in quo fortasse multi illi pares sint: sed in eo, vt opinor, pauci; quod non implumis h. e. linguarum & artium dicendi rudis, sed hisce omnibus probè instructus & perpolitus eò peruenerit, neq; vt alijs contingit, neglecta domi ibi tandem disceret sed & eadem paulo post alios in priuatis Scholis doceret. Nondum id temporis fundata fuit Schola Julia, ad quam, si extitisset, fortè eum loci traxisset vicinitas. Quare iuit in Academiam Vitebergensem tum & nunc quoq; florentissimam: in qua non multum vltra duos menses commoratus propter illa, quæ tum ibi gliscebant certamina Theologica, ad nostram Academiam sibi eundum putauit: Etenim fortuna vel potius Deus nobis hunc virum destinauerat & fatale illi erat atq; æquum videbatur, vt cui Academia virilis eius ætas ornamento & præsidio postea esset futura, eidem ingenij expolitionem & studiorum suorum fructum deberet. Postquam huc peruenerit, & in Academia huius Balthicæ subsellia ingressus est: nihil ille remisit de priore industria: nihil de studijs: nihil de ardore optima quæque cognoscendi: nihil de contentione antecellendi æqualibus. Intelligebat enim, quam aduersariam domi sibi ipse constituerat: ei nisi in Academia satisfaceret, non solum se ipso sese minorem futurum

turum

turam : sed etiam priorem laudem citius quam parta esset amissurum. Et quomodo in ludo gladiatorio eum contemnimus, si quisquam existat, qui vsitatis manuum & pedum iactibus & gladij vibratione præluforia magnificum se fecerit, & fortè etiam primum congressum aduersarij fortiter sustinuerit : at mox fractus & debilitatus terga det & in omnes angulos se circumagi sinat : ita turpe sibi futurum putabat ; si quem diligentia cursum & contentionem ab ipso studiorum auspicio esset ingressus, eundem non in continuandis atq; perficiendis ijs pari cum alacritate teneret. Atque hic auditores stomachari mihi libet, vel potius deplorare malitiam dicamne an errorem quorundam qui hac in re CAMERARIO planè dissimiles sunt : quorum ea est opinio, vbi ex Scholasticis disciplinae repagulis soluti in scholam aliquam supremam ascendunt, se non in clarissimam literarum & doctrinae officinam, sed velut in diu optatum licentiae forum ingredi. Non talis fuit CAMERARIUS : cui Academiae aditus nouum stimulum addebat, quiq; tum demum acrius laborandum sibi statuebat, cum videret sibi indies, si emergere vellet, maiora & grauiora ad discendum proponi. Versabatur igitur primis illis temporibus diligentissime in humanioribus literis, in bonis autoribus legendis, in Eloquentia, in Philosophiae studijs. Neq; verò ipse solum libris incumberebat, ipse discebat & lucubratur sed, (quod ita fieri animaduertimus in excitatis & cultis ingenijs, vt mature ad fructus edendos properent) alios quoq; in priuatis Scholis docebat, non hos solum, in quos perpetuum habebat institutionis ius, discipulos suos sed & illos qui hoc peculiariter ab illo contenderant. Ipse, quanquam caelebs & iuuenis, magnam domum inhabitabat, eam quam postea in proprietatem & vsum Cl. viri HENRICI BRVCÆI pia memoriae venisse & nunc ad hæredes transiisse scimus. In illa domo cum multa musea & cubicula inessent : tamen vix numerum discipulorum capiebant : quorum ille omnium dux & magister seuera disciplina eos coercebat : legendo, declamando & disputando seipsum & illos exercebat : atq; ita efficiebat vt præter incolas multi extranei ad lectiones suas frequenter confluerent. Memini ipsum CAMERARIUM aliquando, cum nos iuniores Professores ad suum exemplum imitandum & priuatas Scholas aperiendas

B das

das in quodam conuentu Academico adhortaretur: huius exerci-
tationis sibi ipsi testem esse, cum diceret, præter opinionem sibi
accidisse, postquam vix pedem in hanc Scholam intulisset, & iam
conterraneis suis notus alijs quoq; innotuisset, vt quidam à se pe-
tiuissent scripti alicuius Græci interpretationem priuatam: mira-
tum primo, barbato hoc à se imberbi & planè iuvene & nouo
Academico petere; ideoq; se excusasse: malle se ab illis doceri,
sed tandem impulsus eorundem adhortationibus serijs ingressum
esse in lectionem istam priuatam, atq; ita ingressum vt in ea vna
non perstitisset, sed post subinde priuatas habuisset Scholas: cuius
rei multiplicem percepisset fructum. Nam & exercitatione eâ se
ipsum doctiorem redditum & assuefactum ad docendi dexteri-
tatem: & permagnam se gratiam à discipulis & studioforum caru-
inisse: viris quoq; claris Professoribus Academiae eò citius inno-
tuisse: nec quæstus labore honestissimo parti se vnquam pænitu-
isse. Græca autem & Philosophica tum præcipuè ab ipso posce-
bantur, quod Jura nondum attigisset, quæ tamen paulò post cum
humanioribus literis & Philosophia coniungebat & mox discipu-
los suos eadem docebat. Græcæ autem linguæ cognitionem lau-
dabilem secum ex inferiori Schola attulerat: quod mirum non
erat, cum præceptorem habuisset **B V C H E N I V M** Græcarum lite-
rarum peritissimum. Ferè enim in quibus præceptores excel-
lunt: ea in primis discipulos suos scire volunt. Itaq; Græcæ lin-
guæ studium ne in posterum quidem deponebat: Græcos autores
amabat: Græca dicta publice in lectionibus & disputationibus in-
terspergebat: Theophilum paraphrasten Institutionum nunquam
nisi Græcè citabat: imò, quod rarissimum quodq; perfectam no-
titiâ indicat, integras Declamationes Græcas in ea Academia
domo, quæ ab Unicorni nomen habet, aliquot habuisse iuuenis
dicitur, atq; eare maximam sibi admirationem concitasse. Neq;
vero is erat, qui spretis Philosophiæ & humanitatis studijs, illotis,
vt multi faciunt, manibus in amplissimum Iuris campum inuola-
ret: quin illi hoc animo sedebat, nisi linguarum & Philosophiæ
fundamenta iecisset, corruiturum quicquid superstrueret. Cara
igitur & curæ illi erant magnopere hisce annis linguarum studia:
cari Philosophorum libri & Philosophia, quam ex præceptoribus,
quotidie

quotidie audiebat: Historicos verò, Oratores, Ciceronem, Plu-
 rarchum & similes scriptores tam assidue manibus terebat, quasi
 hanc studiorum metam sibi unicam proposuisset. Curæ deniq; ei
 erat & minimè contemnendus videbatur honor, quem Philoso-
 phia Candidatis suis pollicetur. Æquum enim erat, ut quæ eum
 tanto studio ab ineunte ætate enutriuerat Philosophia: ab ea tan-
 quam matre ne inhonoratus dimitteretur: & ita in ciuili iuris
 campum plenis passibus (nam & antè non plane leuiter limen e-
 ius attigerat) pedem poneret, vt secum afferet testimonium e-
 ius eruditionis; quæ Jurisprudentiæ præsidio: ipsis vero Jurecon-
 sultis ornamento est admirabili. Quapropter cum gnauiter ali-
 quot annis versatus esset in illis, quæ dixi studijs & iam ætas po-
 stulare videretur, vt totum se Jurisprudentiæ dederet, ex qua ma-
 ximos vitæ fructus sperabat: tum ille primum Philosophiæ sum-
 mum gradum petebat. qui quidem ab Amplissima facultate Philo-
 sophica, tanto merito tantaq; lubentia illi attributus est vt luben-
 tius & merito maiore vix alij cuiquam eundem contulerint. No-
 rant eruditionem: mores probabant: videbant eum deinceps suæ
 Facultati & huic Academiae ornamento fore singulari. Neq; ve-
 rò impofterum, cum maiorum honorum cepisset incrementa &
 ad res magnas esset euectus, huius tituli ipsum poenitebat, aut il-
 lum maiore luce & honore obscurari & opprimi sinebat; quin quo
 studio nactus erat, eodem postea data occasione eum vsurpabat
 & tuebatur: & quoties Rectoratum aut Decanatum gerebat: sem-
 per se in publicis programmatis Philosophiæ & I. V. Doctorem
 nominabat. Et quamuis ab eo tempore ardentissimum studium
 in iure ciuili collocabat, nunquam tamen se ab humanioribus stu-
 dijs penitus abdicauit: siue hoc delectationi daret: siue veteri illi a-
 mori, quem semel imbiberat: siue quod verius est, hoc sibi necessa-
 riò faciendum putabat, ne obliuione & intermissione fructus inter-
 cederet. Sed tamen tum ad Jurisprudentiam totum se applica-
 bat ac nocturnum diurnumq; studium eò conuertebat. Nam &
 ipse hoc non ignorare potuit, & ab amicis instigabatur: vt quia
 ingenium in eo esset expeditum & capax, lingua facilis: laboris
 ferendi promptitudo: ad eam doctrinam se conferret, quæ non in
 Scholarum vmbraulis delitescit, sed in vitæ lucem, in Remp

Anno Chri-
 sti 1570 die
 18. Aprilis.
 Decano
 M. Oueno
 Gunthero.

in hominum actiones publicas & priuatas se extendit. Hic verò, iquanto ille exarsit studio, quantas fecerit breui tempore progressus, cum neq; interdum quiescebat neq; noctu abstrahi se sinebat (quam consuetudinem vsq; ad finem vitæ conseruauit, vt nocturnos labores cum diurnis coniungeret) hoc adeò à me dici non debet, cum multi adhuc ex collegis, qui eum iuuenem hic nouerunt, ipsi huius rei tacitum perhibeant testimonium: neq; verò non conijci debet ex eâ diligentia, quâ antè diximus eum vsu in humanioribus & Philosophiæ studijs. Neq; enim in iuris studio sibi impar erat, sed potius seipsum superabat.

Sed cum ipse ingenti ardore inflammabatur: tum multum ipsum iuuabat familiaritas & doctrina præceptorum: quos nactus erat non uulgares & proletarios, sed eruditione & famâ præstantissimos. Et quia in præceptorum mentionem incidi, non solum Jureconfulti: sed & alij duo magni viri nominandi sunt. Horum primus facile erat CHYTRÆVS, quem CAMERARIVS audiuit assidue: obseruauit vt patrem, coluit & nominauit præceptorem, donec vixit. CHYTRÆVS autem statim, postquam penitus nosse cœpit CAMERARIVM, eius indole mirificè captus est. Placuit illi ingenium: placuit integritas & morum suauitas: probabantur ardor discendi & rara in iuvene doctrina. Quapropter ille summus vir non solum eo tempore amauit hunc vt filium, sed eundem post collegam nactus inter amicos habuit intimum: dona eius admiratus est & si cuiquam quicquam arcanum, certè huic vni credidit, ideoq; etiam eundem id quod hisce diebus compertum est, Testamenti sui executorem scripsit. Alter fuit vir clarissimus & excellentis eruditionis IOHANNES CASELIVS, cui tum ob causas easdem: tum imprimis ob peritiã Græcæ linguæ fuit carissimus. Sed vt ad Jureconfultos veniam, audiuit ille & coluit maximè D. LAURENTIVM KIRCHHOVIVM & D. IOHANNEM BORCHOLDVM: quibus duobus Jureconsultis tum ferè, quod sine aliorum inuidia dictum velim, in hac Academia & regione Juris principatum tribuebant, ita vt alterum tam artis quam exercitationis scientissimum, alterum in causis agendis & consilijs dandis sapientissimum iudicarent. Atqui ego de hisce viris omnibus si plura dicere instituerem, verendum mihi esset.

esset, ne aut prolixior, instituti metam prætergressus, aut breuior laudes eorum detriuisse magis quam amplificasse viderer. Illud certè subticere non debui, quod hos tantos Doctores id temporis CAMERARIUS noster frequenter audiuerit, ab eorum latere domestico, maximè Kirchhouij, cum quo diu habitauit, nunquam discesserit, eius consilia in iuris studio & mox in eiusdem exercitatione diligenter secutus sit: ex quo cognosci debet, quantus ipse factus sit, qui tantos præceptores habuerit, quos quidem quanti fecerit, non solum diligenti auscultatione & consecratione testatus est in vita; sed etiam quod post mortem eadem manserit beneuolentia, argumenta extant clarissima. Quæ enim vel in conuiuio vel in seria negociorum tractatione incidit CHYTRÆI vel Kirchhouij mentio honestior, cui ille non honorificum suffragatorem & testem se præbuerit? aut quam ferè lectionem institutionum ab eo publicè auditam discipuli eius meminerunt, inquam Borcholdi sententiam & interpretationem non introductam: Borcholdi commentaria non laudata & studiosis vehementer commendata esse recordentur? Nolo iam plura dicere, quàm illud, quod hac diligentia sua & his præceptoribus hoc paucis annis consecutus sit CAMERARIUS, vt dignus iudicaretur, in quem vtriusq; iuris summi Gradus petendi licentia conferretur. Ferebant adhuc ita ea tempora, vt Philosophi primū bacca lauri h. e. Baccalaureatus titulo: Jureconsulti Licentiati nomine donarentur, ijsq; titulis aliquandiu contenti essent, ita tamen vt ijs semper aditus esset, quando vellent, ad superiorem honorem patefactus. Ad hunc modum patrum nostrorum memoriâ accepimus multos clarissimos viros aliquot annis Licentiati titulo satis honoratos sibi visos, in quibus CAMERARIUM quoq; ponimus: qui cum anno Christi 1574. licentiam vt vocant esset adeptus, non eadem horâ, sed biennio post Doctoratus gradum petiuit, non quod non posset eodem tempore; vt iam fere sit, illa consequi, sed quod temporibus & consuetudini seruiendum putaret.

2. die
Martij.
Anno 1579.
13. Augusti

Dixi de studiorum curriculo HENRICI CAMERARII, & fortasse ita dixi, vt alijs plura dicenda reliquerim: quod neq; vnus omnia cognoscit, neq; quæ cognoscit omnia exponenda sibi iudicat. Neq; tamen existimandum; CAMERARIUM postquam
B 3
supremâ

Supremâ laurea iuris fuit ornatus; hic curriculi illius sui & diligentia metam finiuisse, vt cum ad res gerendas se applicarit; in cognoscendâ ipsa iuris arte inq; ruminandis Philosophiæ studijs nihil temporis posuerit. Imò ille cursum eum discendi & legendi post quoq; , si non tam acriter, succisuis tamen horis tenebat; neq; eum ab intermissione veterum studiorum & ipsius scientiæ, quam per se dulcem & iucundam putabat, vel causarum agendarum multitudo: vel tot principum grauissima negocia: vel debilitata tot laboribus ætas penitus auocare poterant. Verum enimvero in quavis re ita comparatum est, vt etsi ipsa scientia honesta & per se expetenda sit, multumq; laudis quis mereatur, qui studiorum cursum feliciter absoluerit: tamen nescio quomodo hoc inane quiddam & imperfectum videatur, nisi quæ didiceris, tum ad tuum tum ad publicum vsum conuerteris, quo industriæ tuæ tu ipse & alij fructum capiant amplissimum. Quis vero tam impudens aut inuidus erit, quin fateri cogatur, in hoc studiorum fructu consequendo præ multis alijs CAMERARIUM fuisse beatissimum? Plurimi contenti sunt, si hanc utilitatem ex studijs reportent vnicam, vt vitam conditione aliqua tolerant; ille vnus omnia ferè adeptus est, quæ à Jureconsulto aut optari aut obtineri possunt. Quod si enim laudabile & periucundum est, posteaquam magno labore in discendo perfactus sis, summum honoris Gradum consequi, tanquam eruditionis testimonium & vitæ ornamentum: si optabile & raræ felicitatis coniugio primario, honestissimo, locupletissimo potiri: si eximium & præclarum magna & multa officia summâ cum laude cumq; multorum utilitate obire: si magni & excelsi animi in luce viuere & honestissimam estimationem, autoritatem & amorem omnium virtute & meritis sibi peperisse: si dulce & gloriosum magnos discipulos habere, à quibus post colaris: si deniq; in humanis bonis non vltimum habetur, ingentes opes rectis artibus conflasse & habere liberos, quibus eas relinquant: quidnam horum est quæso, quod CAMERARIO detrahere possis, aut quod non omnibus propemodum numeris in eo absolutum reperiatur? O igitur illum hætenus in hac vitâ verè beatum: ô incredibilem ornamentorum & utilitatum quæ ex ingenio, labore & studijs eius promanarunt, multitudinem,
cum

cum vnus plura consecutus sit, quàm alij oprare audent. Neq; tamen hæc ita illi vni tributa velim, vt non alijs eadem contigisse & contingere posse fatear, aut vt illis ipsis qui hisce omnibus rebus hoc ipso tempore & loco illi spares sunt, quicquam detraham. Sed ne quidem eos ipsos amplissimos & clarissimos viros in hanc suspicionem vocandos puto, quasi hanc laudem CAMERARIO inuideant, quin illi potius & animo & sermonibus assentiuntur, & si hoc loco essent, eadem dicerent.

Atq; de honorum insignibus plura fortasse dicere non debeo, non quo illi dignitati quicquam velim derogatum, quam sentio laboris præteriti esse præmium, futuri incitamentum, existimationis apud homines præsidium, decus & ornamentum vitæ perpetuum, sed quod hunc studiorum fructum CAMERARIO cum innumeris ferè, quibus reliqua consequi non licet, videam esse communem. Illud an peculiare habuerit nescio, quod non magis ipsa hac dignitate lætabatur, quomodo omnium animi honore & laude suauiter afficiuntur: quàm aliorum congratulationibus, amore, gratia. Habet hoc splendor virtutis & dignitatis, vt facile alliciat amatores. facile præcones inueniat. Iuuenes vero ea ætate, qua tum erat, si tam egregie se gerant, vt reliqua vita & fortuna qualis futura sit, facile conijci possit, non solum facile veniunt in multorum hominum notitiam & à multis magni fiunt: sed etiam apud Venerem gratiosi sunt, vt facillime inueniant quod ament. Pompeium Plutarchus scribit, cum in accusatione quadam reus vehementer acrem & præter ætatem constantem se gessisset, tantam sibi gloriam gratiamq; parauisse ex vnâ ea actione vt Antistius Prætor, apud quem ea causa agebatur, amore Pompeij captus filiam ei suam nuptum dare statim decreuerit, adeoq; paulo post consentiente Pompeio id matrimonium perfecit. Et, vt apud eundem est, Appius Claudius vir consularis & Censorius princepsq; senatus, cum vnâ cœnarent augures, inter quos vix ex ephebis egressus propter virtutem & famam lectus, erat Tiberius Gracchus Caij frater, hunc suâ sponte amice compellans nuptias ei filia suæ obtulit. Quas cum ille lubenti animo accepisset sponsione facta domum reuertens Appius, ab ipsâ ianuâ vxorem vocauit, magnaq; voce, O Antistia ait, Claudiam nostram viro despondi: & illa mirata, quæ inquit huius festinationis causa est, nisi
si eam

si eam Tiberio Graccho tradidisti. Tanta vis est virtutis, auditores, tanta efficacia & splendor, ut quemadmodum de Pantarbe lapide memoratur, cum arcanâ quadam & magnâ vi aurum ad se attrahere, ita illa insita quadam pulchritudine attrahat ad se non tantum qui amicitiam iungere, sed etiam qui sanguinis & affinitatis vinculis se copulare velint. Haud equidem scio an facilitate adipiscendi similitudinem cum hisce quandam habuerit ratio initi à CAMERARIO coniugij, neq; id multum refert: satis & permagnum est, quod ipse peregrinus in familiam receptus sit omnium in hac vrbe facile primam: uxorem nactus honestissimam & prudentissimam: socerum verò amplissimum ordinisq; senatorij, qui tum copijs & opibus omnes in hoc oppido antecellere existimatus est, ALBERTVM DOBBINVM, qui cum huic genero suo filiam Margaritam desponderet, Themistocleum illud repetivisse fertur, cum diceret, se malle CAMERARIO filiam despondere non admodum locupleti, quàm alij ditissimo CAMERARIO dissimili. Neq; verò hic hanc ipsius vocem & opinionem frustratus est; quem vidit suavissimè cum filiâ suâ viventem, liberis ex eâ susceptis & honestissimè educatis felicem: genero etiam clarissimo, si tam diu vixisset MARTINO CHEMNITIO I.C. excellenti & consiliario Principum, Pomeraniæ amplissimo beatum videre potuisset: opibus certè gratia & autoritate vidit florentissimum: & ut hæc ipsa sibi pararet partaq; auget, nulli labori, nulli studio, nullis vigilijs parcentem. Etenim enituerat hætenus præclarum in CAMERARIO ingenium: in laboribus, quos illa ætas postulat, versatus erat maximis: præmia etiam & fructus hosce, quos iam diximus, tulerat non contemnendos, ita quidem, ut in illis nonnulli, qui dotem pro vitâ & animâ habent, ibi putent subsistendum: at illi hæc eadem in sequente ætate longè maiora supererant: ingenium magis in lucem & in aciem educendum: grauiore exantlandi labores: exercenda ea in civili vitâ quæ tanto ardore didicerat: inseruiendum Reip: obcunda magna & præclara officia: in Academicis, in vrbanis, in nobilium, in principum deniq; grauissimis negocijs fideli opera versandum. Hi deniq;, hi inquam fuere illi fructus, qui ex priore labore capiebantur, præcipui & maximi, non solum ipsi ad famam, ad au-

toritate

toritatem: ad proferendas animi sui dotes & virtutes, ad copias & opes parandas: sed multò magis ad Reip. & priuatorum commoda augenda apti & vtilis.

Ac primum quidem, quod vix fieri aliter potuerat, ipsa Academia illi palestram aperuit, quem hactenus alumnum habuerat, nunc Doctorem & juris ciuilibus interpretem adoptans. Non solum enim studiosis & Professoribus ille ad vnguem, vt dicitur, exijs quæ antè in Academia egerat, cognitus & probatus erat; sed etiam amplissimo huius vrbs senatui, altero Academiae patrono, ita ingenium, eruditio & industria eius innotuerat, vt cum duos aliat Juris ciuilibus Professores publicos, alterum CAMERARIUM esse vellet, eiq; quem præferret, haberet neminem. Fuit hoc ipsi optatissimum. quid enim poterat magis optare aut expectere, quam vt in quo auditorio paulò antè inferioribus subsellijs confederat docentem auscultans: eodem iam sibi sublimem cathedram conscendenti alios docere liceret? Fuit etiam gratum & acceptissimum istis studiosis, qui Jus discebant, quorum quidam, vt hunc priuatim antè diligenter audiuerant; ita omnes eum publicum præceptorem tacitis votis efflagitabant. Fuit deniq;, id quod maximè requirebatur, Academiae perutile & necessarium. Etenim ille Spartam hanc nactus, ita eam ornauit: vt neq; amplissimum senatum suffragiorum suorum: neq; studiosos iuuenes voti sui, neq; Academiam huius Professoris panitere potuerit, aut vnquam possit. Nam cum Academicum hoc munus præcipuè in docendi partibus versetur: eaq; duabus inprimis virtutibus contineantur, dexteritate docendi & fide; neminem ita inuidiâ præpediri arbitror, quin facile concedat optimo CAMERARIO vtrinq; Et quidem magnâ illû in docendo dexteritate versari, mirum non erat, qui instrumenta secum in cathedram afferebat ad eam rem necessaria, ingenium, eruditionem, eloquentiam. Meminimus iã antiquitus quæsitum esse, vtrum eloquentia sapientiæ præferenda sit: hac dubitatione in hoc viro opus nõ erat: in quo hæ duæ animi maximæ dotes ita copulatæ & deuinctæ fuerunt, vt non tam inter se certare, quam mutuas sibi amicasq; operas tradere viderentur. Habebat ille naturâ celeres animi ingenijq; motus: ius ciuile, linguas & Philosophiam probè didicerat: legendo, declamando

mando, disputando se multò ante & multùm exercuerat: rerum cognitionem facundia orationis sine vllâ asperitate aut morâ consequeretur: voce utebatur suavissimâ, acutâ, distinctâ: in docendo se non solum ad iuris subtilitatem eruendam, sed etiam ad fori consuetudinem demonstrandam accommodabat. Verissima hæc sunt omnia: testis quisq; nostrum esse potest: testes sunt auditores certissimi. Quis illis carior habitus fuit CAMERARIO? quem tam diligenter audiuerunt? ad cuius cathedram tanto concursu confluerunt: in quo si fortè etiam non planè nihil potuisse existimanda est lectionis, quæ illi ordinariè attributa erat ratio: tamen plus ipsius facultas & eloquentia in eo sibi merito vendicavit. Quoties verò nos ipsi in loco publico, cum aut magistratum Academicum suscipiebat aut eundem deponebat, aut leges Academiae publicabat, eum memoriter & suavissimè perorantem audiimus? quoties cum Candidatorum Juris eruditio publicè explorabatur, scientissimè & argutissime disputantem? qua frequentia & gaudio persæpè Candidatos, quorum viginti quinque ipse vnus in hac Academia juris Doctores creavit, ipso duce & Decano in templum primarium & maximum deduximus? qua maiestate atq; vocis & animi contentione, omnia ea, quæ hic Actus postulat, peragentem aspeximus? O rem miseram & multis lachrymis deplorandam, quod suavissima illa vox tam subitò obmutuerit! quod vultus ille iucundissimus è medio nostrum sublatus sit! quod amabiles illi oculi tam repente morte connuere coacti sint! Sed video me dolore efferri, cum hoc tantùm hæcenus demonstrare instituerim, quas diuinas ingenij dotes CAMERARIUS ad officij sui munus attulerit, ad quas cum fidelitatis & industriæ partes, quod alterum erat, adiunxerit, postulari in hoc genere nihil amplius ab ipso potuit. Multa sunt Jureconsultorum impedimenta: multa negocia vel priuata vel publica: per quæ ijs sæpe Professionis laboribus vacare non licet, quæ si in quoquam magna & multa, in CAMERARIO erant maxima & plurima. Qui enim in tot principum aulas erat distractus, vt ferè ad nutum adesse cogeretur: quomodo ille non sæpe lectionis Academicæ cursum interrumperet? Verùm his impedimentis cum ea penitus amoliri non posset, optimus ille vir sic medebatur & occurrebat: vt quanto minore

minore

minore tempore sibi domi esse liceret : tantò diligentius & maiore ardore operas Scholasticas cum domi esset , vrgeret , ita vt nullum eo tempore in septimanâ diem à docendo vacuum esse sine- ret : plerunq; etiam duas horas sibi ad prælegendum quotidie su- meret. Atq; etiam id magno argumento esse potest , quam nihil ille maluerit, quàm fidem in officio præstare : quod certum lectio- num numerum sibi ipse statuerat : quem si ob negotiorum multi- tudinem superare non posset , quotannis tamen expleret : id quod ipse de se testari non erubescerat : & vt alij idem facerent , cum aliud nihil posset, exoptabat. Nihil iam dicam quomodo se gesse- rit in cæteris officij huius partibus : quomodo magistratui Acade- mico præfuerit ? quàm disciplinæ amans & quam seuerus eius cu- stos fuerit ? quàm serio petulantia & negligentia studiosorum do- luerit & in eos quam acriter animaduernerit ? quam iniquo animo tulerit, si priuilegia & immunitates Academiae tentari atq; illis a- liquid decerpi intelligeret ? in quibus omnibus talem se præstitit, vt vnâ Academiae vtilitatem spectaret : collegis abundè satis- faceret : à studiosorum gratia , quâ semper florebat , minimè ex- cideret.

Ac quoniam dixi eum sæpe alijs muneribus à rebus Academi- cis auocatum , quæ illa munera fuerint dicendum est. Nemini ignotum esse potest, quod omnes IC. ita faciunt , eum cum simul & Procuratoris & Aduocati locum in iudicio Prouinciali esset ade- ptus : quorum prius post aliquot annos deposuit, satis maturè cau- sis nobilium agendis operam dare cœpisse : in quo artificem eum fecerat ille quem antè nominauit Laurentius Kirchouius , huius rei ipse præ omnibus alijs princeps suo tempore habitus. Agebat igitur causas CAMERARIVS : quod si quis leue putet neq; ar- dui laboris : non cognouit ille sanè rem ipsam : neq; conspexit Ac- torum in vna sæpe causa ingentes fasces , quos vix manu leues. Quid cogitas ? dum hæc confecta sunt , quanto labore ? quot libro- rum peruolutione ? quàm sollicita meditatione opus fuerit ? Postquam autem semel huic muneri se implicarat : expedire se po- stea , cum publicorum officiorum moles & multitudo cresceret, vt fortasse interdum voluerit , non potuit totum ab Aduocati mu- nere, sed vsq; ad hæc ipsa mortis tempora multos clientes habuit:

C 2 quòd

quod libenter illi causas suas multi committerent, quem & iuris
scientissimum & non tam lucri cupidum, quam clientum salutis
studiosum esse didicerant. Quis enim illo erat aut in iure dicen-
do doctior? aut in defendendis clientum causis diligentior? aut in
consilijs dandis perspicacior! aut in fide præstanda constantior?
quippe qui non modo ius scientissime dicebat: sed & ipsius iusti-
tiæ patronus erat & assertor maximus: ad cuius vestibulum clien-
tes magno numero confluebant: cuius domus non minus quam
Scæuolæ alicuius aut Ulpiani, ciuitatis huius & regionis, vt erat,
ita dici poterat oraculum.

Huc accessit alterum illud munus publicum, quod amplissimus
huius vrbs Senatus illi imposuerat: muneri Professionis adiun-
ctum: eodem propè magis laboriosum. Habebant enim illum vt
consiliarium in deliberationibus: vt Aduocatum in causis ciuita-
tis publicis: vt legatum in exteris adeundis. Etenim cum in ma-
gnis sæpe deliberationibus opus haberent consilio, à **CAMERARIO**
illud petebant: illum in curia quandoq; totos dies detine-
bant: cum controuersia inter Senatum & alios incidissent, eaq;
Commissarijs à principe Illustrissimo essent commissæ, illo vt ora-
tore & causæ suæ patrono utebantur: cum causas in iudicio prin-
cipis aut Camera defendendas habebant, omnium grauissimæ e-
iusdem **CAMERARII** patrocinio demandabantur. Quid? quo-
ties illo legato ad externos vsi sunt in primis adhuc iuvene? quoties
ante hæc tempora ille senatus nomine conuentibus Hanseaticis
interfuit? Illam vnã in primis satis longinquam legationem
subtrahere non debeo, quam ex mādato amplissimi senatus vnã cum
viro Senatorij ordinis Ioachimo Cronio p. m. in Sueciam suscepit,
sub idem tempus quo Christophorus dux Megapolitanus cum so-
rore regis nuptias celebrabat Stockholmiæ: in qua legatione id
agebatur, vt priuilegia, quæ Rostochienses iam antiquitus in illo
regno adepti sunt, à Rege Iohanne nuper ad regnum euecto con-
firmarentur: quo quidem negotio feliciter confecto illi post trium
mensium spacium domum redierunt. Sed cum res demandata
benè ab illis gesta esset: ipsi multas difficultates passi sunt, in pri-
mis vero internauigandum propter procellosam tempestatem in
vitæ desperationem venerunt. Ibi tum **CAMERARIUS** quod
nihil

nihil miri est, periculi magnitudine consternatus, Deo hominum
 seruatori & regnatori maris atq; terræ, pium & singulare votum
 vouit, si ex illo periculo euasisset, se Tomos L V T H E R I veræ
 religionis instauratoris primo quoq; tempore ordine perlecturum,
 quod putaret hoc pietatis officium Deo gratius futurum, quam si
 Hecatombam voueret: cumq; Deo clementer annuente optatæ
 salutis vna cum reliquis compos esset factus, domum reuerso ni-
 hil fuit prius, quam vt votum tam pium solueret. Non dicam
 iam de alijs legationibus: non de certis negocijs, quæ illi demandan-
 da putarunt: non de nuperâ illâ difficili & longâ deliberatione & tra-
 ctatione in conficiendo jure Rostochiensis: qua in re etsi ipsi CAMER-
 RARIO nostro multi dies in curiâ disputando & deliberando, mul-
 tæ noctes domi meditandâ & conscribendâ illâ ipsa Juris formula
 consumptæ sint: res tamen hæctenus imperfecta mansit:

Sed hæc quidem munera vt perampla fuerint, maximiq; la-
 boris, ita vt existimes vnum hominem plura sustinere non posse:
 supersunt tamen alia, quæ ista vt dignitate; ita difficultate ante-
 cellunt. Magnum est Professore Academix nominari: labo-
 riosum in causas agendas incumbere: res multæ occupationis mul-
 tæq; curæ vrbanoꝝ negociorum confectio: at quis est cui non
 maius atq; illustrius videatur tot principum esse consiliarium? aut
 non intelligat hoc munus in tot aulas distributum propter causa-
 rum magnitudinem, rerum & deliberationum varietatem; eo-
 rum quorum res agebantur principum personas tales, in quibus of-
 fensio periculosa est, omnium fuisse difficillimum? Fuit enim ex-
 petitus CAMERARIVS, tum cum iam hic domicilium fixisset
 & nomen eius ac ingenij & industriæ fama longè lateq; increbuis-
 set: ad consilia danda & grauissima negotia obeunda, non ab vno
 principe, sed aliquot principum familijs. Non dicam quod iu-
 uenis adhuc vocatus sit ad Consiliarium ab Illustrissimo principe
 & Dno. D. VLRICO Academix huius Cancellario & nutritio
 clementissimo, quod munus cum circiter biennium gessisset; spon-
 te se eo abdicauit. Iam viginti anni sunt, quod illo perpetuo &
 primario Consiliario vtitur Illustrissimus princeps & Dominus
 Dominus BVGISLAVS, dux Pomeraniæ: multis annis eodem
 Consiliario vsæ sunt duæ præclaræ Lunenburgenses familiæ, altera
 C 3 Cellis

Cellis Luneburgicis, altera Dannebergæ sedem habens: multis deniq; Illustrissimus princeps & Dominus, Dominus Franciscus, Saxoniae inferioris dux: cum ubiq; carissimus & magnæ autoritatis magniq; consilij haberetur. Hinc factum meminimus, vt illum subinde iam in Pomeraniam, iam Luneburgam, iam in Saxoniam inferiorem, quoties vel subito vocabatur vel certorum negotiorum causa sibi eò eundem ipse sciebat, hinc auolantem viderimus. Quamobrem si nullum aliud extaret argumentum, vnde perspiceretur, quantus vir CAMERARIUS fuerit: existimo satis esse debere hoc vnicum, quod tot principes, cum alios in propinquo & domi suæ habere possent, quibus negocia suâ committerent, hunc virum quamuis longè semotum præ omnibus expetiuerint: eundemq; ita carum habuerint, vt nemo apud quenquam vnquam gratiosior esse potuerit. Qui equidem principum illorum amor & CAMERARII nostri apud illos autoritas, quod temerè & forte fortuna extiterit: non puto esse quenquam tam insanum vt arbitretur. Animaduertebant illi Heroes singularem in hoc viro prudentiam: videbant eius in negocijs expediendis celeritatem: fidem imprimis & diligentiam in rebus commissis summam experiebantur: quin ipsi sæpissime vni CAMERARIO acceptum referebant, quod ea, quæ voluissent, in magnis causis obtinuissent. Augebat hoc etiam fauorem & admirationem, quod cum graues controuersia à disceptatione ad amicam transactionem deduci deberent, in harum dextra & facili compositione & in pertrahendis ad concordiam hominum voluntatibus, tam efficacem & felicem eum deprehenderent, vt verbis eius, consilio & autoritati diuina quædam vis inesse videretur. Neq; verò illud non multum ad hanc rem attulit, quod in CAMERARIO nostro fuerit ea ciuilibus prudentiæ pars, quæ in congressibus, in sermonibus, siue seriò aliquid, siue ioco agatur, nouit sese hominibus dedere, inseruire eorum moribus, beneuolentiam captare: ea tamen cautione, vt neq; quenquam aduleris neq; cuiusquam offensionem prouoces. Ad hunc modum se ubiq; gerebat CAMERARIUS: idq; poterat facilius, quod non tam consuetudo quam ipsa natura ad eam facilitatem eum totum composuerat. Inerat enim in hoc viro, quod omnes meminisse potestis, singularis lepos & humanitas:

tas:

68

tas: os, oculi, vultus, quandam comitatem præ se ferebant: à sermone autem & colloquio omnis aberat austeritas, omnis rigor: & hæc quasi muniebat natiua illa, quæ ex oculis & vultu elucebat animi bonitas & candor. His rebus ille hoc consecutus est, vt cum cuiuscunq; ordinis hominibus viueret, nemo esset, qui eum odisse posset, amarent omnes, neq; tantum vulgares vel ciuiles homines: sed illi ipsi, quos dixi, principes & principum filij. Quare si Lyricus Poeta vere dixit:

Principibus placuisse viris non vltima laus est,

eam laudem nemo CAMERARIO vsurpabit iustius.

Veniat hoc loco alicui in mentem cogitare, illa officia, quæ hæctenus exposita sunt, tam graua & tam multiplicia, quomodo vnus rectè gerere potuerit: Notum enim est illud Xenophontem, fieri non potest, vt vnus multa agat, eademq; rectè. Ego verò auditores etsi ipse non possim hoc non mirari, tamen mihi quædam oculis obuersantur, quæ admirationem minuunt. Non omnium eadem est ingenij felicitas: non eadem rerum experientia: non laboris par tolerantia. Videas sæpe vnum meditando & scribendo plus vna atq; altera hora efficere: quam alterum integrâ die. Hoc adminiculo imprimis adiutus est CAMERARIUS: quem, ne alia dicam, illi qui eum interius nouerunt, domestici testantur ita felicem & expeditum fuisse in meditando, vt celeritas digitorum in scribendo, cogitationum celeritatem consequi vix potuerit. Cum hac ingenij felicitate coniuncta erat primum multarum rerum experientia & vsus, qui hoc efficit, vt rerum periti sine longa meditatione & ex tempore consilia capere, orationes habere & alia agere possint, in quibus imperitis & nouitijs diutissimè est adhærescendum: deinde laboris tolerantia & assiduitas tanta, quanta in hominem cadere potest maxima. Nunquam ille quieti & otio se dedit: nunquam manum de tabula seposuit: vno peracto alterum aggressus est; & cum illi integri dies satis non essent, quorum assiduitas sæpe hominum interpellationibus interrompebatur, noctium lucubrationes continuas addidit. Neq; vero aliter poterat, qui tot munera & negocia se vnum circumstare videret: quibus nisi satisfaceret, in officio segnis haberetur

tur

tur & infidelis, & conscientia suae non satis consulere. Quae quidem maxima fuit causa, quamobrem ille, cum semel esset ingressus hoc curriculum inferuendi hominibus quam plurimis: ab eo deflectere & depositis actionibus ad otium & vitae quietem sibi redire non licere putaret. Etenim cum collegae eius amantissimi eum aliquando adhortarentur, ut sibi parceret, immanes illos labores moderaretur, causas agendas alij concederet, vitae & valetudini consulere: hoc ipsum illis respondisse fertur, se quidem omnibus illis causis malle carere, etiam nonnullis principum officijs sese abdicare, neque quod in hisce hac aetate omnibus perseueret, questum spectare, quò longè carior sibi vita esset & valetudo: sed eò maximè deterreri, quod & causae illae & principum negotia sibi vni essent perspectissima; quae iam diu in manibus habuisset, quae si desereret, non solum hominum offensiones incursumus, quas forte contemnere posset, sed etiam fidei suae & conscientiae, quae vita sibi carior sit, minimè satisfactorius videretur. Accessit ad hanc laborum tolerantiam vnum, quod caetera longè superat, auxilium diuinum. Ab huius imploratione ille operas suas ordiebatur: huic vni confidebat, inde felices rerum successus & sperabat & consequabatur. Non mirum igitur est qui ingenio & celeritate agendi praestabat: qui ab ineunte aetate se omni contentione exercuerat & rerum vsu edoctus erat: qui laboris erat tenacissimus, qui consiliorum & actionum suarum Deum ipsum autorem & moderatorem habebat: si is tot grauissima munera Deo illi vires largiente subierit, gesserit, perfecit.

Venio nunc alium quendam studiorum fructum, leuiorem quidem reliquis, sed cum ipsis studijs coniunctiorem, ex docendi officio vnico emanantem. qui ut cum reliquis non sit comparandus, planè tamen fileri non debuit. Hunc fructum CAMERARIUS percepit ex affectu, cultu & amicitia multorum clarissimorum, qui illo olim praepatore vel priuato vel publico vsu erant virorum: qui hoc praepatore gloriabantur, eum colebant & obseruabant: ipse vero de tam magnis discipulis sibi gratulabatur. Inter quos cum alij fuerint ex Megapolitana nobilitate, qui in magnos viros euaserunt: tum ex multis video superesse Nobilissimos viros alterum Ioachimum ab Oldenburg, iuniorum principum

pum

pum consiliarium & Capitaneum in DOBRAN & RIBNITZ, doctrinâ, prudentiâ, & humanitate præstantem: alterum IOHANNEM HANIVM in Basdow hæreditarium, virum integerrimum & literatorum fautorem, ac in ministros verbi diuini beneficum & liberalem. Quin & magni nominis Jureconfulti quidam in hoc numero sunt, qui libenter fatentur, se doctrinæ suæ nonnullam partem CAMERARIO debere, eumq; semper præceptorem suum summâ cum obseruantia agnouerunt. Notum absq; dubio est nomen clarissimi Jureconfulti EBERHARDI à VVEIHE MAVRITII LANDGRAVI Hassiæ consiliarij: notum præstantissimorum virorum IOACHIMI à BROITZEN Reip. Brunsvicensis Syndici, & CONRADI DORINGI Reip. eiusdem consulis & BERNHARDI BVNGENSTETI IC, & causarum patroni, qui vna cum nobilibus istis & alijs, quos non nomino, neq; omnes nominari necesse est, neq; omnes noti sunt, CAMERARIVM adhuc iuuenem priuatim docentem audiuerunt, imò pleriq; in eadem cum illo domo habitauerunt & imposterum eum magnâ beneuolentiâ & cultu & perpetua amicitia profecuti sunt. Quid quod hunc fructum in ijs locis percepit, longè hinc distans, in quibus minimè sperasset? Suscepit CAMERARIVS noster Anno Christi 1585 peregrinationem in superiorem Germaniam & in Heluetiam, Bernam & Tigurum vsq; progressus præcipuas Germaniæ vrbes & Academias perlustravit. Hic illi hoc accidit, vt non solummodo in illa peregrinatione cum multis præstantissimis viris amicitiam inierit: quæ peregrinationum utilitas solet esse non minima: sed etiam vbiq; ferè quò peruenit, aliquot veterum discipulorum repererit, à quibus magno cum gaudio & congratulatione exceptus & honorificè habitus est, quod sibi magnæ voluptati fuisse ipse non negauit.

Atqui cum illa magna sint & illustria quæ hæctenus dixi, tum nescio an illud maius sit & preciosius quod dicam, honesta existimatio, fama, autoritas: quæ ex prioribus istis enata sunt. De CAMERARIO, omnes honestè sentiebant: omnes eum venerabantur & amabant: virtutes eius prædicabant: nunc nemo est, quin obitu eius repentino acerbissimum capiat dolorem. Neq; enim aliter fieri poterat, quin ille vbiq; benè audiret, qui neminem læderet,

D

ret,

ret, multos iuaret: & in quem Deus tot ingenij & fortunæ dona contulisset vt rarò plura in alium quenquam. Atq; hæc honesta existimatio & fama clarissima non sanè domi se continuit, sed ad exteros vt fit erupit: illisq; virum ita commendauit, vt si eo potiri possent, felices se arbitrarentur. Multi principes eum concupiuerunt Cancellarium. Ciuitas Brunsvicensis, in quâ natus erat, & cui ob stipendium quoddam deuinctus, anno Christi 88 Syndicum illum efflagitabat. Verum enimvero nulla illi domiciliij sedes erat iucundior, quam hæc ipsa, in qua studia tot annis pertexerat: vbi matrimonium contraxerat: vbi tam amplam affinitatem sibi adsciuerat; in qua dignitate & gratiâ apud omnes florebat: vbi illis rebus omnibus sibi frui licebat, quas vix coniunctas in alia functione sperare poterat. Itaq; vt CHYTRÆVS sæpe hinc aũocatus: ita ille quoq; in hac nutricula sua perstitit: neq; à dulci collegarum consuetudine, aut ab illis muneribus, quibus iam assueuerat, vllis pollicitationibus se abstrahi passus est. Oblectauit tamen eum hoc honestum multorum & amplissimorum hominum de se iudicium. Pro eo enim atq; quisquam animo generoso est: ita gloriâ & laude non potest non duci, quamuis ille non tam gloriam, quæ sponte sua consequi solet, quam gloriæ & honesta existimationis fundamenta appetebat. Ea hæc erant, quæ antè dicta sunt. sed tamen præter illâ alia adhuc peculiariora, quæ existimationem hanc & amorem non minus augebant, supererant, virtutes quædam peculiæ, præter illas quas sparsim attigimus. Eas si oratione nostra non attingeremus: bonam CAMERARIJ laudum partem omisisse videremur.

Atq; vt rem ipsam dicamus, quis illo fuit humanior & comior? quis integrior? in quo fuit maior iustitiæ & non ad gratiam detortarum sententiarum amor? quis superbiæ infestior hostis? humilitatis amantior? quis crucis domesticæ, quàm ille, tolerantior? quis deniq; pietatis virtutum omnium studiosior? Si quicquam horum falsum esset auditores: erubescerem ea apud vos proferre, qui CAMERARIVM æquè mecum nouistis. Sed quæro ex vobis, ane hisce singuli assentiamini? Nouistis equidem illum virum fuisse humanissimum minimèq; morosum: qui nisi fuisset, non ita omnium gratiam emereri potuisset. nouistis eundem

eundem fuisse integerrimum; qui non versutiâ alios decipiebat: non dubijs frontis inuolucris mentem inuoluebat: non aliud sentiebat, aliud loquebatur: sed apertè sententiam suam proferebat. Hæc nimirum integritas illa est, quæ CHYTRÆO quæ cæteris præceptoribus, quæ collegis, quæ auditoribus, quæ omnibus eum carum reddebat. Quàm verò ille visus fuit iustitiæ amans? quam indignabatur, si quicquam ad gratiam deflecteretur? quam sæpè prolixè in Senatu Academico de re proposita diserebat? quàm accuratè omnia, quæ ad causæ caput pertinebant, eruebat? quam pugnabat ne cuiquam iniuria fieret? Hypocrisi vero hoc est, falsæ pietatis & aliarum virtutum simulationi vnus omnium erat, infestissimus. Iam illum superbiæ hostem, animumq; eius veræ humilitatis sedem fuisse, multa mihi videntur testari: inter quæ illud præcipuum est: quod propter ingenij & fortunæ bona, quibus illum Deus abundè cumulauerat, nihil sibi ipsi arrogabat: neq; si quid laudabile effecisset, in eo pueriliter exultabat, neq; tam sibi quàm Deo id acceptum referri volebat. Memorabile est, quod ipsi sæpè cotam audiuius. Cum Candidatorum juris disputationes à sexta matutina ad sextam vespertinam sine intermissione pertexuisset & iam finem labori imponeret, tum hac Epaminondæ sententia modestiam suam sæpè ostendit: Hæc quidem Deus fecit, nostra vero linguâ vsus est. Idem testabatur, quod cum sæpè Cancellarij titulus ei ab officiosis deferretur in aula BVGISLAI ducis, eum semper repudiarit & propterea homines reprehenderit: tametsi cuius honoris nomen vsurpare volebat, cum re ipsa tuebatur. Idem testabantur externa illà, congressus comis: sermo non elatus sed simplex, vultus non fastuosus sed ad risum compositus: deniq; simplicitas in cultu vestium, in quo neq; ipse modum excedebat, neq; filias suas luxuriare sinebat, id quod aliquando eum respondisse ferunt ijs, qui literatorum ordinem eum esse falso clamitant, per quem splendor & luxus in vestitu nimius in urbem inuehatur.

Sed neq; humilitas, neq; iustitiæ amor neq; cætere virtutes, tantum laudis huic viro afferunt, quàm vna in Deum pietas; quæ in eo emicuit & fulsit præclarissime. Testes sunt Theologi certissimi: testes eorum publicæ prolixæ celebrationes, quas in

funeris humatione audiuius : testes omnes familiares & domestici, testes deniq; multæ actiones externæ, ex quibus animi affectus dignoscitur. Non ille in seipsum, non in opes : non in gratiam potentum fiduciam suam, sed in vnum Deum collocabat : huius metum & amorem quotidie meditabatur : ad eiusdem opem in angustijs & cruce confugiebat. Nemo magis detestatus est, si quid peccasset : neminem magis pœnituit, quam illum. neq; hic opus esse existimo, vt dicam, eum ardentem veram & Lutheranam religionem esse amplexum, cum nemo eum vnquam in suspicionem hæresis vocarit. Sed quoniam illa, quæ in externis hominum actionibus conspiciuntur, ea quæ intus latent, in lucem euocant : quis est qui non meminerit eum tam assiduam fuisse concionum & verbi diuini auditorem, vt cum in vrbe esset à nulla concione se abesse vellet? cui non recordari subit cum Theologis illum singularem & intimam coluisse amicitiam? Domi vero libros Lutheri, Philippi & quosdam alios iam à puero legere assueuerat; & summam ac fundamenta doctrinæ Christianæ ac præcipuos controuersiarum Theologicarum nervos animo firmiter imbiberat. Sed neq; Institutiones juris, neq; Codicem, neq; Pandectas illum tam sedulo euoluisse, ita manibus contriuisse arbitror : quam sacra Biblia. Facile affirmarim (vidi enim ipse & contrectaui exemplar) multos Theologos inueniri, qui sacrarum literarum lectione cum CAMERARIO in certamen venire non audent. neq; ea ita legit, vt verba tantum pronunciarer, res animo elabi pateretur. Affirmant eius ministri & domestici, vix quoddam dictum illustrius nominari potuisse : cuius locum & caput ille non ex tempore reddere potuerit, ita penitus animum & memoriam ea lectione imbuerat. Idem cum ad eiusdem libri finem aliquot quaterniones compingi curasset, in illis paginis iuxta articulos doctrinæ Christianæ seorsim innumera dicta, quorundam vero tantum initia : cum omnia memoria teneret, retulerat : inter quæ de fide in Christum, de cruce, de patientia, de mortis meditatione eminebant. Idem cum à somno se ad officium retulisset, nullam actionem exorsus esse dicitur, nisi antè vitæ consiliorum & actionum suarum successum Deo precibus commendasset. Idem cum in itineribus, quæ creberrima erant, mane currum conscendisset, aliquot

quot

69.

quot horas matutinas cantionibus sacris animo & voce repetendis tribuebat. Idem cum doni erat, nullam eius diei, quæ diem Dominicum antecedit, vesperam præterire sinebat, quin liberis & familiæ suæ in vnum locum conuenientibus ipse in medio inambulans Euangelium non aliter atq; Theologus aliquis per integram horam interpretaretur. Idem filias, quas tres reliquit honestissimas, & familiam ita consuefecerat: vt siue domi esset, siue peregre abesset, nullam concionem matutinam, à qua ditiores ferè abesse solent, negligenter. Idem easdem domum ex concionibus reuersas, vt diligentiam earum acueret & profectum animaduerteteret, acriter de capitibus concionis examinabat. Idem non semel atq; iterum sed persæpe ad sacrosanctam cœnam non solus, sed cum vxore, liberis, & omni domo quotannis se conferebat. Quid dicam de tota disciplina domestica, qua nihil potuit esse magis, ad pietatem, nihil magis ad modestiam, ad elegantiam simplicem compositum. Non opus est laudare filiarum mores, modestiam, pudicitiam, erga parentes obseruantiam, pietatis & humilitatis studium. Ipsæ harum virtutum viuum de se perhibent testimonium. Neq; tantum pietas eius hisce metis, quæ animo, quæ auscultatione, quæ lectione continentur clausa fuit, sed in bonorum operum exercitia sese effudit, illa nimirum, quæ maxime à diuitibus requiruntur, liberalitatem erga pauperes, & beneficentiam erga ministros verbi diuini. Erga pauperes certe **CAMERARIUS** fuit omnium liberalissimus: qui præter quotidianas elemosinas, quotannis cum à Versura Gustrouienfi rediret, certam pecuniæ summam, quam vt existimo certis quibusdam egenis, qui à domestica paupertate nomen habent, largiebatur, deponebat. In sacros templi eius, quod ipse frequentabat, vsus, nemo illo maiora contulit: ducentos florenos æditimis per biennium sine vsuris collocauit: post eosdem perpetuo legatos esse voluit suggesto templi huius, ita vt eorum redditibus & hi præsentres concionatores & posteri fruantur. Quin in eodem templo siue noua turris extruenda: siue organum splendidum ædificandum: siue fenestris paries exornandus nouis & lucidissimis: in nullo quicquam ille cuiquam concessit, sed potius pietatis studio & doni magnitudine omnes alios anteuertit & superauit. Quin & hic pietatis

pietatis & fidei fructus videtur fuisse maximus quod in domestica illa cruce, quæ ei pene propria erat, quæq; oriebatur ex difficultate partuum aliquot vxoris vel potius abortuum: cum præter infantis interitum mater nunquam non cum morte colluctabatur non animum abijceret, neq; desperaret, neq; aduersus Deum fremeret, sed se sub potenti Dei manu humilians patientia acerbitatem crucis superabat: metum vero imploratione auxiliij diuini imminuebat, & Deo se gratiam immortalem debere dicebat, qui animaduersionem paternam mediocritate quadam temperans vxorem vna cum fætu sibi non eriperet.

Vereor, auditores, ne propemodum aures vestræ defatigatæ sint, dum de vita CAMERARIÏ tam multa dico, quamuis neq; pauciora potuerim, neq; in ijs quæ dixi, copiam quæsiuerim. Nunc à lætis ad tristia nobis digrediendum, & de morte ac mortis genere ea dicenda, quæ veritas & pietas postulat. Et quoniam vos omnes expectare video, vt antequam de mortis genere meam sententiam explicem, aliquid de ipsius mortis circumstantijs vobis referam: faciam id ea breuitate: quam res admittet, ea veritate, quam testantur, qui coram in re fuerunt. Id autem fortasse non opus est, vt ego vos doceam, quod antè non ignoratis: CAMERARIÏ nostrum cum anno superiore Mensis Octobris ultimo die hinc discessisset, ab eo tempore Brunsvigæ substitisse & in continuis patriæ suæ laboribus versatum esse. Cum vero horum negociorum ea esset facies, vt CAMERARIÏ breui ad suos reditum speraret, fit vt paucis abhinc diebus Brunsviga Luchouium in ditionem Luneburgensem à principibus eius loci ad certa quædam negocia euocetur. obstrictus erat istis principibus, venit vocatus, negocia expedit, & iam Brunsvigam iterum cogitabat, cum antè eorundem principum nomine ad vicinam urbem Marchicam Soltquellam excurrendum sibi intelligit, erant enim quædam dissensiones de finibus Marchicæ & Luneburgicæ ditionis: quarum causa sibi in colloquium veniendum erat cum nobilissimo & præstantissimo viro Domino THOMÀ KNESEBECK veteris Marchiæ Capitaneo & Electoris Brandenburgici consiliario magnifico. Postquam eo peruenit, non solum facilis fuit effectio rerum commissarum: verum etiam ipse congressus & consaluta-

tio

tio cum Domino Knesebecio mirum est quantum habuerit læti-
 ciæ & iucunditatis. Est enim in Knesebecio magna virtus : magna
 humanitas, non vulgaris doctrina. CAMERARIUM vero eó
 etiam amabat & in oculis ferebat, quod cum veterem suum præ-
 ceptorem, vt erat, nominabat. Itaq; non aliter ac si fratre suo,
 quem multis annis non vidisset reduce & saluo potiretur : ita ad-
 ventu & conspectu CAMERARII lætabatur : eum omnibus of-
 ficijs complectebatur : dulcissimis colloquijs inuicem recreaban-
 tur. Inter quæ hoc non præteriri debet. Cum Knesebecius se
 mirari diceret CAMERARIUM annis maiorem ita facie esse ru-
 bicunda & hilari, quasi reiuuenesceret, se vero minus ætate pro-
 uectum senem iam posse videri præ illo. Imo, inquit, noster,
 Etsi fortè hoc ita sit ; tamen senectutem magis intus sæpe sentio,
 quam fronte promo : & quotidie de morte omnibus horis immi-
 nente cogito. Dixeris illum vatem fuisse imminentis fati : certè
 mortis illa præmeditatio pia fuit : quam alioquin nunquam ex a-
 nimo deponebat. Etsi autem Knesebecius vehementer ab eo
 contenderet, vt diem illum amicitia & hilaritati daret, eumq;
 ex amplexibus suis ægre dimitteret : tamen CAMERARIUM ad
 iter impellebat, primum patriæ, deinde suorum amor. Scie-
 bat enim, quædam sibi adhuc Brunsvigæ conficienda esse : ad suos
 autem primo quoq; die redire percupiebat. Facta igitur con-
 salutatione mutua, cum circiter duas horas vna fuissent, à prandio
 discessit : & qui mos illi perpetuus fuit inter iter faciendum, bo-
 nam temporis partem Psalmis à Luthero vel alijs in cantiones re-
 ductis memoriter canendis tum quoq; tribuit : cum inter alios sex-
 tum Psalmum Gallico idiomate pronunciaffe dicitur : quam ille
 linguam quasi ludo & ioco pro ingenij felicitate didicerat, alio-
 quin occupatissimus : vel quod delectationi & linguæ elegantia
 hoc daret : vel quod eam sicubi ad externos veniret, vsui & orna-
 mento futuram putaret. Paulo post fit, vt in via illi occurrat
 Magnus & Clarissimus vir H A I O à N E S S A I C. & Illustrissi-
 mæ viduæ ducis I O H A N N I S ducis Megapol. & Iuniorum prin-
 cipum consiliarius & Professor Rostochiensis : qui cum hilariter
 mutuo se excepissent & D. H A I O huc domum contenderet in
 digressu suos salutari & breui reditum, si Deus ita vellet, expecta-
 re

re

re iussit. Sed paulo post, cum more suo inambulans collem con-
scenderet, pectus angustia spiritus occludi sensit. Ibi ille hoc mi-
nistro conquerens in rhedam, qua vehebatur, se recipit. cumq;
spiritum recepisset, iterum de rheda descendit: iuxta progredi-
tur: sed confecto exiguo spacio, redit animi angor & ex impro-
uiso angustia spiritus penitus eum ita oppressit, vt videntibus
famulo & auriga neq; quicquam opis afferre valentibus concide-
ret, & ter gemitu repetito, terq; simul oculis ad cœlum leuatis
expiraret. fuit id die 11. Februarij. Consternati ministri & prope-
modum exanimes in vicinum pagum funus portant, qui est nobi-
lissimi viri Lupoldi à Sculenburg: nuncium celerrimo equo
volantem ad Knefsebecium mittunt. Knefsebecius exterritus vt
secum non esset, correpto equo, aduolat. ministros indusia & a-
lia portare iubet. vbi ad locum venit, amplectens carum caput
multis lachrymis rigat. Ipse tenuissimo indusio corpus induit præ
amoris affectu, sandapila conficitur honorifica, cui imponitur, &
donec alia consilia caperentur, in templum eius pagi, custodibus
appositis deducitur. Quod vero mirum erat, facta erat in facie
CAMERARIJ nulla mutatio: nullus irruerat pallor: erat ru-
bor, qui esse in viuo solebat, idem; id quod hac in vrbe quoq; vi-
dimus. Aduenerat interim & ijs quæ dixi interfuerat alter no-
bilis Sculeburgius: statuitur communi consilio funus mittendum
esse in aulam Luneburgensem: ipsi 14. Februarij septem equites
vsq; ad fines ditionis Luneburgicæ comites adiungunt. Atq; hic
in oppidis Luneburgicis singularis hominum amor & veneratio
emicuit. Nam per quodcunq; oppidum funus transuectum est:
auditi sunt campanarum sonitus, non exorati sed spontanei: quo
illi homines quem viuum magnificerant, ei defuncto iusti dolo-
ris & extremæ pietatis significationem contestabantur. Vbi in au-
lam peruentum est, quanquam absq; dubio fama præcurrerat: ta-
men comploratio facta est maxima: omnes enim dolebant & ve-
hementer angebantur: quod hunc tantum virum adeo sibi carum
tam præter opinionem amisissent. Confestim tabellario huc
misso denunciatur: vt vel funus, si vellent, mature huc aspor-
tent, vel sibi humanum relinquerent. tam carum enim sibi esse
CAMERARIVM etiam post mortem, vt quæcunq; honoris
splendoris

splendoris & ultimæ pietatis officia hoc loco ei præstari possent: à se eadem expectare deberent. Verum longissime abfuit, vt hoc honestissima & mæstissima vidua cum filiabus & cognatis concederet: quin hoc in votis habebat, vt illum honorem à se acciperet: vt sibi liceret eum vel mortuum intueri & inter eiulationes osculari: vt hic quieti in tumultum illatus daretur. Id quod quanta cum celebritate, quanto hominum concursu & frequentia, ita vt templum eos vix caperet: quanto cum cognatorum & aliorum multorum suspirijs & hetu, quam deniq; proluxa & verissima Reuerendi & Clarissimi viri VALENTINI SCHACHTII Theologiae Doctoris & Professoris, qui concionem funebrem habuit, vitæ, virtutum, & meritorum collaudatione factum sit, vidimus audiuiusq;

Hactenus mortis & eorum, quæ cum morte coniuncta fuerunt, historiam exposui, nunc de genere ipso mortis dicam.

Morborem lethalium duo genera esse scitis, alterum quod paulatim debilitat, & tandem extinguit: alterum quod repente & quasi in momento. Vt multi alij pij & integræ vitæ homines ultimo hoc genere expirarunt: ita Deus voluit CAMERARII vitam in repentinum exitum desinere. Atq; hic absq; dubio nemo nostrum non cogitat, longe fuisse optabilius, si illi domi, si in lecto, si non nimis subito, si inter vxoris & filiorum planctus animam efflare licuisset: non nemo etiam fortasse de ipso mortis genere in sinistram cogitationem abripitur. Ego vero, auditores, vobis facile hoc assentior, domesticam & non ita repentinam mortem magis fuisse exoptandam: sed propterea de omnibus, quibus inopinatus & festinus vitæ exitus obtingit, sinistrè esse iudicandum, id si assentiar, contra pietatem faciam: in Dei arcanum iudicium irruam: multos pios homines condemnem. Quot enim fuisse vel nos vel alij meminere, qui cum vitam singulari pietate & integritate traduxissent: ita eam clauserunt vt eodem ferè momento sani & mortui conspicerentur. Profanus profectò sit & nimis præcipitis iudicij, qui propterea cum hisce hominibus malè actum esse statuerit. Regium Prophetam dicere meminimus: DEUM mirabiliter sanctos suos ducere: quod ego non tantum de ipso vitæ cursu, sed etiam eius supremâ clausulâ interpretor.

E
pretor.

pretor. Ducit enim suos mirabiliter non solum in hoc mundo, iam illos lætitia & rebus secundus exhilarans, iam cruce contristans: sed etiam ex hoc mundo: ita ut alios annis adhuc & viribus florentes auocet, alios ad summam senectutem peruenire patiatur; alios lentâ alios repentinâ morte hac lucis usura exuat. Et quis est, qui propterea in Deum inquirere, aut de aliquo horum mortis genere malignè iudicare audeat! Ut miles imperatoris: ita nos Dei voluntatem & ordinem sequi cogimur. *Ad hoc Sacramentum adacti sumus, ait Seneca, ferre mortalia, nec perturbari, his, quæ vitare nostræ potestatis non est. In regno nati sumus: Deo parere libertas est.* Videtisne eundem ordinem seruare Deum tum cum in vitam venimus: ut alios lento & aliquot dierum partu: alios faciliè & vno momento in lucem emittat. Quidni idem illi liceat, cum vita iterum eximus?

Iam uero in CAMERARIO nostro, qui in hoc morientium numero est, quædam præterea cum hac morte concurrunt, eamque antecedunt, quæ omnem sinistram opinionem, quæ sanè in impijs celeriter extinctis non planè nulla est, minuunt & delent. Quantum enim hoc est, quod mors illum deprehenderit non temerè aut voluptatis gratia aut in consortio impiorum sed ut sacræ literæ loquuntur, in vijs suis ambulantiem? Quantum singuli patriæ debemus, quæ nos nascentes excepit & teneros educavit, omnes intelligimus aut intelligere debemus. Patriæ verorum maxime subueniendum est, cum in angustijs & periculis versatur. Brunsviga autem vrbs amplissima quantas sollicitudines, calamitates, damna iam per biennium ferè pertulerit: cogitandum potius vobis auditores, quam nobis longo sermone explicandum ducimus. Hic cum illa spes effulsisset, fore ut grauissima illa controuersia æquis conditionibus transigeretur adhibitis Commissarijs Cæsareæ maiestatis: Senatus populusque Brunsvicensis cum alios ad suas partes agendas vocauit viros præstantes: tum CAMERARIUM eorum non vltimum esse voluit: quem eò libentius subiturum hoc munus eoque maiori fide gesturum sperabat, quod patriæ ipsius nomen & caritas hoc ab illo efflagitarent. Neque verò ille aut patriæ defuit: aut Senatus & populi expectationem fefellit. Venit Brunsvigam Mense Nouembri superioris anni, & venit

venit vocatus. agit ea quæ ad salutem patriæ pertinebant & agit iussus. non patitur se defatigari vllis laboribus, non odio aut periculo vlllo se deterreri, quo minus patriam molestiam laborare anniteretur. quis negabit illum in vocationis officijs versatum? Cum, vt dixi, in viciniam excurreret & mox Brunsvigam iterum contenderet: in via illi hoc accidit, vt neq; Bruusvigam neq; Rostochium viuo reuerti licuerit: Quis vero hic locus fuit, quod iter, quod animi institutum, nonne illud quod vocationis & officij partes ei imponebant? Quod si militem laudamus, qui in acie vitam pro patria atq; focis profundit, cur non etiam hunc militem togatum, pro patria sua morientem beatum prædicamus? Bene igitur & beatè eum virum mortuum existimabimus: qui si non domi aut inter manus suorum: tamen in vijs suis & pro patria vitam finiuit.

Quid quod de morte non tam ex morte ipsâ, quam ex antea actâ vitâ sit iudicandum? Si salutem illorum, qui moriuntur mortis ratione metiri velimus: iam Tiberium Cæsarem, de cuius vitæ placido obitu constat, nec non multos impios inter Christianos, quibus idem contingit, beatos iudicabimus: Hausmannum vero Superintendentem Frigenbergensem in Misnia, qui in ipsa templi cathedrâ subito obticuit, neq; vnquam postea voce in aut vitam recepit, miserum. O verò peruersa hæc & stolidia iudicia. quin tu istuc ad priorem vitæ cursum oculos conijce: hic singula intuere, hinc illa sume iudicij tui argumenta. Neq; verò tam præceps eris vt condemnes illum, qui talem in vita se gessit, vt duo illa mandata, quæ Christus à nobis postulat, vt Deum & proximum diligamus, si non expleret, ad illa saltem summo studio contenderet. At vero talem CAMERARIUM fuisse, cum illa omnia probant, quæ à me dicta sunt: tum etiam si ipse non dicerem, tamen pro me, hisce qui astant tacentibus, ipsa loquerentur templa & altaria. Sic igitur cogita & sic tecum rationem ini: si mortem eo ipso momento meditari non potuit, at per totam vitam eum mortis cogitationes versasse, & præterito ac eodem die de mortalitate cogitasse: si libri sacri & dicta salutifera ibi illi defuerint: at ante manibus & animo quotidie ab eo esse trita: si concionatorum consolantium voces aures eius

E 2

non

non circumsonuerint: at antè in publicis concionibus continuo illas cum magno eum Zelo audiuisse: si confessionem suam non edere, nec se viatico corporis & sanguinis Christi ante abitum instruere & corroborare ei licuerit: at antea & confessionem cum vero animi dolore edidisse sæpius & sacro illo cibo & potu auidè se & crebrò recreasse, & nunc quoq; fide eadem in celerrima ista catastrophe participasse. Tantum igitur abest vt male cum CAMERARIO vt potius omnium optime actum sit, qui ita ex hac vita discesserit vt mortis dolorem non senserit. ita autem vixerit, vt is discessus animam illius ex hac ærumnosa in vitam beatissimam & æternam, ex perpetuo labore in perpetuam quietem euexerit.

Habetis auditores, ea quæ de vita & morte HENRICI CAMERARII mihi dicenda putauit, ex quibus facilè intelligitur, quoniam inde exorsus sum orationem meam & id me demonstraturum promisi, non temerè esse, quod vnius causâ tam multi lugeant. Si enim quæris, cur vidua & filia ita ad funus eius reductum miserrimè eiulatae sint? maritum at patrem dulcissimum quem valentem dimiserunt & ad cuius reditum animos & vota crexerant, eum in feretro cubantem & mortuum recuperant. Cur isti magnifici & amplissimi viri, quos hæc primaria familia complectitur, qui se hoc loco nominari nolunt, in acerbissimo luctu versentur? quia ornamentum suæ familiae splendidissimum amiserunt. Cur Academia lachrymas fundat? collegæ contristentur? studiosi doleant? quia illa columna præcipua: isti collega optatissimo: hi præceptore carissimo orbati sunt. cur Senatus & populus hunc virum extinctum nollent? quia operam & consilium eius sæpe experti sunt. cur tot principum familiae, neq; non multi eorum subditi CAMERARII mortem gemitu & lachrymis persequantur? quia viuum habuerant carissimum & negotiorum suorum administratorem fidelissimum.

O igitur te beatissimum optime CAMERARI, si manes tui vocem meam exaudiunt, qui ex ijs locis discessisti, vbi discessu tuo t' multorum luctum excitaris! in ea venisti, vbi non luctum sed gaudium perpetuum inuenisti! ô te felicem, cui in vita omnia ea bona contigerunt, quæ ab hoc homine optari possunt. post mortem verò

in eorum bonorum possessionem venisti, quæ hæc mortalia longissimo interuallo superant! o memoriam & famam tui nunquam interituram, quam non penicillo & colore in tabulam æream, sed meritis tuis & virtutibus immortalibus in tot hominum mentes & in æui æternitatem inscripsisti. nos certè collegæ & hi discipuli tui nunquam tui obliuiscemur: semper te Academia hæc Baltica inter præceptores & lumina sua cum grata recordatione ponet: semper te venerabitur: ipsa illa pulpita & cathedræ, in quibus docuisti, disputasti, perorasti, Candidatos juris creasti, merita tua loquentur, neq; certè nos Principibus illis tuis, qui magna contestatione & dolore affirmant se nunquam tui & tuorum meritorum obliuisci posse quicquam concedemus. quin hunc ipsum Parentationis honorem tibi habemus, cum nihil aliud occurrat, quo meritis tuis in hanc Academiam gratiam referamus & luctum nostrum consolemur: te impostero quoq; laudabimus nunc vero sanctissimam tuam animam saluere & valere & cineres tuos humi conditos molliter quiescere iubemus.

Nobis verò, auditores clarissimi, qui in hac statione adhuc permanemus, cum hoc parentationis officio hoc tempore perfuncti simus, quid præterea nobis faciendum putabimus, nisi vt dolori nostro eam metam & modum figamus, quem in Christiani hominis luctu requiri non ignoramus: deinde quoniam hic vnus annus eripuit nobis duos viros clarissimos DAVIDEM CHYTRÆVM & hunc HENRICVM CAMERARIVM, quorum ingenium, eloquentia, doctrina, celebritas hanc Academiam reddiderunt celeberrimam, alterum caput, alterum columnam Academiæ primariam: vt Deum optimum maximum omnium Academicarum Rectorem & doctorum fidelium datorem, de hac iacturâ sarcindâ & restituendis in locum defunctorum eiusmodi

Professoribus, qui Academiæ ornamento, studiosæ iuuentuti

magno vsui: quiq; eorum, quos amisimus, doctrinæ, fi-

dei, industriæ, imitatores sint solertissimi, om-

nes & hoc publico loco coniunctis preci-


bus & quisq; priuatim domi suæ o-

remus & obtestemur.

D I X I

E 3

ME-



MEMORIÆ

CLARISSIMI ET OPTIMI VIRI
DN. HENRICI CAMERARII
I. V. D. ET PROFESSORIS IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI, FIDELISSIMI, MAGNIFICENTIA, Amplitudine, sapientia, & eloquentia præstantis, illustrissimorum DUCVM BRUNSVICENSIVM & LVNEBURGENSIVM atq; POMERANORVM Consiliarij excellentissimi.

E Heu sicne peris Rosci lux splendida Varna?
O Camerari adeo sunt cita fata tibi?
Eheu sicne jaces? tot pectora sicne relinquis?
Quorum delicia, cor, amor, ardor eras.
Eheu tristis erat nostræ quàm nuncius urbi
De subita lethi conditione tui?
Eheu qualis erat tum: luctus! fluctus & Oueri
Hercinij! & gemitus inclyta Barda tibi?
Eheu delicia Fidei, Themidisq, choriq,
Musarum, dulces quæ viguere, cadunt!
Eheu quale tuæ cor, eheu, conjugis, eheu
Qualis amor prolis? maestus amaror erat.
Eheu qualis erat CHEMNICI pectoris ardor?
Qui patria præstat nobilitate Gener?
Eheu qualis erat virtute usuq, celebris
FRIDRICVS Roseana HEINIVS urbis honos?
Eheu præterea tunc & nunc corda fuere
Qualia? quæ sanguis jungit & officium.
Hei mihi qualis eram, cui compater ipse salutem
Dixerat ante abitum, dixerat ante obitum?

His dum

His dum ego, cui morbô fuit ante potentia mortis
 Visa, gemens verbis utor & illacrymor,
 Compatriis en ANIMA egregij, quem defleo, tales
 Absq; mora est felix visa referre sonos:
 Sit modus in luctu: DEVS est ante omnia habendus
 Ante oculos, numerans distribuensq; dies:
 Cui parere decet non tantum nos sed oportet,
 Fletibus in vitam nec revocatur homo.
 Spes ego vestra fui: DEVS at spes vestra sit ille
 Omnipotens, noster qui DEVS atq; pater:
 Qui viduas, qui pupillos, qui respicit agros;
 Qui premit atq; onerans, est, cruce vestra salus.
 Et bonus est, licet austerus videatur & atrox:
 Quod facit, id prodest, quod quis obesse putet.
 Nascimur haud casu, nec casu vivimus ulli:
 Nec casu morimur, sed DEVS autor adest.
 Absq; DEI nutu passer non occidit ullus;
 Absq; DEI nutu nec cadit ullus homo.
 Nec mors Divina signum credentibus irae est:
 Consilia aeterni, non mala, mira DEI.
 Mors at inexpectata mea improvisaq; cunctis,
 Et subita? ô felix mors metuenda nihil.
 Non festina pijs mors sed probrosa malignis;
 In DOMINO, salvi, qui moriuntur, erunt,
 Seu cita mors penetret, seu longo pallida morbo
 Corpora debilitet, debilitata necet.
 Mens vera conversa fide semperq; parata
 Hinc transire, diu non crucianda fuit,
 Cum verò pietas mea cum sit cognita virtus,
 Quodq; alios posthac malo referre, decus
 Mors mea non mors est sed mortis imago vel umbra,
 Non vidi mortem corpore, somnus erat.

Sic quoq;

Sic quoq; Iohannes, jussus cum sanctus abire est,
 Sic pius elector Ian Fridericus obit,
 Sic obit Elias Lutherus temporis huius,
 Sic Mathesiades, Hausmanidesq; bonus,
 Extremaq; die cunctis migratio, verè
 Qui didicere D E O fidere, talis erit,
 Vita hominum labor et dolor est, et vana voluptas,
 Vita caduca, brevis, caca, misella, fugax.
 Vita nec est vita, heu tot curis subdita, sortis
 Subdita tot telis tot cruciata malis
 Altera sed vita est, quâ nil prastantius usquam
 Quam mihi donavit filius ipse DEI.
 Morte sua, nostram, mortis victoria, mortem
 A CHRISTO vitæ vindice parta, necat
 Iam mihi prosperitas jam pax jam gaudia vera
 Vera quies, vera est gloria, vera salus.
 Hac fruor, aeternumq; fruor: pars terrea terræ
 Cessit, at hæc summâ luce resurget humo,
 Inq; mea CHRISTVM mea gaudia carne videbo,
 Cum fuerit miris glorificata modis.

Inter gemitus & lacrymas compatri dilectissimo
 & collegæ honorando f.
 IOHANNES FREDERVS D.



